DE TEMPORE

QUO SEPTEM ET VIGINTI ULTIMA LIBRI PROPHETÆ ISAIÆ CAPITA SCRIPTA FUERINT

INVESTIGATIO

QUAM DEO BENE VERTENTE

IN FACULTATE THEOLOGIÆ EVANGELICÆ ACADEMIÆ PARISIENSIS

PRO LICENCIA DOCENDI

Die 31 *mensis julii, A. D.* 1884, *hora a. m. X*

PUBLICE DEFENDET

H. BLANC-MILSAND

PARIS
A. PARENT, IMPRIMEUR DE LA FACULTÉ DE MÉDECINE
A. DAVY, successeur
52, RUE MADAME ET RUE MONSIEUR-LE-PRINCE, 14

1884

DE TEMPORE

QUO SEPTEM ET VIGINTI ULTIMA LIBRI
PROPHETÆ ISAIÆ CAPITA SCRIPTA FUERINT

INVESTIGATIO

QUAM DEO BENE VERTENTE

IN FACULTATE THEOLOGIÆ EVANGELICÆ ACADEMIÆ PARISIENSIS

PRO LICENCIA DOCENDI

Die 31 *mensis julii, A. D.* 1884, *hora a. m. X*

PUBLICE DEFENDET

H. BLANC-MILSAND

PARIS
A. PARENT, IMPRIMEUR DE LA FACULTÉ DE MÉDECINE
A. DAVY, successeur
52, RUE MADAME ET RUE MONSIEUR-LE PRINCE, 14

1884

Præside V. S. V. Ph. Berger,

Solemne exercitamentum moderabuntur triumviri doctissimi

Ph. Berger,
E. Ménégoz,
A. Sabatier,

SS. Theologiæ DD. et PP. PP. OO.

DE TEMPORE

QUO SEPTEM ET VIGINTI ULTIMA LIBRI PROPHETÆ ISAIÆ CAPITA SCRIPTA FUERINT

INVESTIGATIO

INTRODUCTIO

Sunt ne septem et viginti capita quæ in ultima parte libri Isaiæ continentur, et huic prophetæ traditionis fama tribuuntur, revera ab eo scripta ? Sic se habet quæstio quam præsenti dissertatione nobis in animo est solvere.

Controversiæ de hac causa, non jam inde antiquitus traditæ sunt. Aben-Esra excepto, judæo Rabbi duodecimo sæculo vivente, cujus doctrina rex Jechonias hæc capita scripserat dum septem et triginta annis vertentibus Babylone captivus esset — vero, doctrina quæ pæne inaudita prætervolavit, nullum grave dubium de auctoritate hujus ultimæ partis habemus, nisi paulo supra finem antecedentis sæculi.

Ab eo tempore vero, hæc dubia in dies creverunt, nostraque ætate multi doctissimi eximiique theologi sen-

tentiam protulerunt hæc capita per ultimos annos captivitatis Judæorum Babylone scripta fuisse, ferme duobus sæculis post Isaiæ vitæ tempora.

Nonnulli tamen in rebus divinis instructissimi doctores in contraria doctrina adhuc permanent.

Nihil firmius asseritur, quam argumenta quibus propugnatores utriusque contrariæ doctrinæ in suam sententiam adversarios perducere conantur. Nihil prætermittunt defensores doctrinæ quæ hæc capita Isaiæ tribuit, quin verbis pretium efferant perstantis famæ per viginti sæcula traditæ et quæ semper Isaiam totius libri auctorem designavit. Profecto enim, annis saltem ducentis ante Christum natum, Jesus, Siraci filius, in octavo et quadragesimo capite libri sui de Sapientia, v. 25 ss., hæc dicit : « Isaias propheta magnus et fidelis in conspectu Dei... spiritu magno vidit ultima et consolatus est lugentes in Sion ; usque in sempiternum ostendit futura et abscondita antequam evenirent. » Vetribus synagogæ interpretibus nullum unquam dubium fuit de Isaia hujus libri auctore. Josephus (Antiq., XI, 12) apud omnes vulgatum rumorem circumfert, juxta quem Judæorum memoriæ traditum esset, Cyrum regem decretum in Esra (cap. 1, 23) servatum edidisse, postquam in Isaiæ vaticinationibus quæ ad eum attinebant, legisset. Certum est, hanc eamdem existimationem de Isaia auctore in J.-Christi diebus prævaluisse, sicut palam apparet Luc, IV, 17; Act., VIII, 30, 34; Math., III, 3; Joh., XII, 58.

His acceditquod difficile est pro rato habere, opus, præstantissima verborum forma et carminis splendore eximium, tantaque cogitationum excellentia valens, in ex–

silii temporibus per tot ac tantas calamitates scriptum fuisse.

Non facile etiam concipi potest, quo modo auctor tam perfecti operis ita ignotus manserit, ut ejus nomen nunquam exauditum sit.

Tandem multa et magna eruditione, hi theologi ad certum deducere conati sunt, quibus de causis, hujus ultimæ partis libri Isaiæ scribendi ars, classicum culmen hebraicarum litterarum excellentis sua eloquentiæ specie in memoriam revocet, et scripta posteriorum prophetarum seu Jeremiæ seu Ezechielis valde superet. Cæterum, multi prophetæ qui Isaiam ætate consecuti sunt, sed ante exsilii dies vixerunt, ex verborum conjunctione iterum atque iterum similitudinem artis scribendi Isaiæ referunt, ita ut multa dicta ex Isaia excerpta esse videantur (1).

Hæc argumenta quantumvis ad veritatem accedere appareant, adversarii doctrinæ a majoribus traditæ alia argumenta objiciunt, non minus speciosa. Nos admonent nostra septem et viginti capita a prioribus capitibus appendice historica abscindi (cap. XXXVI-XXXIX) ita ut animo occurrat has duas partes duo sejugata opera fingere, à duobus distinctis auctoribus composita. Addunt Ecclesiæ traditionem paucis locis Siracidæ, aut quibusdam Novi Testamenti verbis sustentatum, nihil aliud demonstrare nisi hæc duo opera jamdudum in unum contracta fuisse, sub unius auctoris nomine, eo

(1) Sic exempli causâ, vide Nahum, III, 10; comp. cum Is., LII, 7-1; Soph., 11, 15; cum Is., XLVII, 8,10; Jerem., III, 16, IV, 13, VI, 14; cum Is., LXV, 17, LXVI, 15; vide quoque Jer., X, 16, XXX, 10 et ss. cum Is. LXIV, 9, 20; LXV, 7.

tempore quo scriptores de quibus supra mentio fuit, hujus libri quædam verba protulerunt.

Quod ad scribendi artem attinet, palam profitentur stylum a dicendi genere prioris partis Isaiæ multum distare. Cogitatio non tam concisa est; non jam eadem sermonis est brevitas, quæ in capitibus I-XXXV invenitur et lectorem quam plurimum obscurat. Hic vero, oratio expedita, libere profluens, facilis intellectu et quæ calamum longe dissimilem manifestum faciat.

Huic elocutionis dissimilitudini addenda sunt novi generis impedimenta, scilicet doctrinarum dissentiones præcipue de Messiæ natura. Etenim auctor priorum capitum adventum Christi exspectat, Davidis filii, qui gentes superabit, regnumque avi sui restituet. Auctor vero ultimæ partis, jam non de theocratico rege loquitur. Jehovæ ipsius adventum prænuntiat (XL,5,9,10; LXIV,1 comp. cum XXXV, 27). Ut consilia sua ad effectum adducat, primo Cyrum adhibet, quem christum suum, pastoremque appellat; deinde quadam persona utitur quæ æque ac Cyrus, auctori prioris partis ignota est : servo Domini, qui doloribus suis pro populi peccatis pænas dabit, et per gentes cognitionem veri Dei effundet (XLII, 1, 6; XLIX, 1, 7; LII, 13; LIII, 12).

Imo pernegant nostrorum capitum vel tenuissimam pro lationem apud prophetas posteriores unquam inveniri. Quædam incerta verborum similitudo, aut cogitationum affinitas, revera passim allegantur. Sed hoc nihil probat nisi prophetas in eodem circumfuso cogitationis modo vixisse, aut ex iisdem prophetarum scholis egressos esse. Contra vero, si Isaias ultimæ partis auctor foret non explicandum sit qua de causa prophetæ omnes ætate

inferiores, præcipueque Jeremias sacrarum populi sui litterarum tam peritus, tot et tanta præcepta nostris capitibus inclusa, nunquam adhibeant, quum in diebus imperii eversi totiusque gentis disjectæ ditissimum spei et consolationis fontem inde haurire potuissent.

Præcipua argumenta utriusque contrariæ doctrinæ proposuimus, non ut ea accurate exponeremus, aut longius pertrectaremus, sed ut demonstraremus quantum difficile sit rem ad certum deducere dum causa sub hoc uno adspectu inspicitur. Longinquo jam tempore res in diversas partes agitata est. Summa jam eruditionis investigationumque copia ad nodum expediendum expensa fuit : nihilominus, talis modi contentiones magis ad difficultatem in longum ducendam, quam ad dubitationem eximendam idoneæ videntur. Styli differentiæ vel affinitates argumenta levioris ponderis sunt, imperfecta nostra hebraicæ linguæ scientia quam ut res e dubio venire possit, veraque opinione nostra locutus est Reuss (Gesch. d. H. Sch. A. T., § 384 p. 473.) quum defensores remotæ antiquitatis Pentateuchi compositi irridet, qui post multos labores, quinque aut sex archaica verba e toto volumine patefecerunt.

Quod ad capita nostra attinet, aliquid simile accidit. Quidam theologi in Isaia (XL–LXVI) novem et septuaginta vocabula supputaverunt quæ in antecedentibus capitulis non inveniuntur. Alii vero, alternis vicibus, firmant in cap. 1–XII duo et septuaginta vocabula his capitibus singularia reperiri. Quid his colligitur, aut quid est de tali explicatione scholasticæ eruditionis concludendum, nisi spem relinquendam esse, lucem ab illo argumento allatum iri?

Non multo majus pretium argumento tribuimus, quod quidam a discrimine cogitationum aut prospectuum trahere conantur. Nihil demonstrat eumdem auctorem in variis rebus circumstantibus non potuisse dissimili modo loqui ac variis temporibus plures dicendi formas adhibere. Hoc Isaiæ proprie accidit, cujus longum vitæ spatium regna Osiæ, Jothami, Achaziæ et Ezechiæ complectitur, et qui, si fama creditur sub Manasse rege mortem obiit postquam propheticum proscœnium per fere octoginta annos occupaverat. Cæterum, si quid aptum sit ad vanitatem talium inductionum monstrandam, ostenditur ab immoderato usu hujus quæstionis quoquoversus agitatæ, num septem et viginti ultima capita nostra opus ordine certo compositum sit. Plerique traditionis defensores, et Delitzschius ipse, hæc capita pro tractatu expleto absolutoque habent, tribus bene distinctis partibus diviso quarum unaquæque in hæc verba desinit: « Non est pax impiis, dicit Dominus. » (Cap. XLVIII, 22-LVII, 21.) Quæque harum partium novem subdivisiones continere dicitur, quarum aliæ aliis vicissim congruunt; et ut lineamentorum consensus usque ad finem confirmetur, non e memoria periit, Cap. LIII, totum libellum in duas sane æquales partes dividens, summum cacumen propheticæ cogitationis figurare.

Enimvero hæc solers ingeniosaque consideratio impetum adversariorum traditionis non sustinet. In versu intercalari « non est pax impiis », nihil aliud nisi fortuitum casum cernere volunt. Auctoritatem variarum partium in dubium vocant (sic exemp. causa, cap. LVI, 9-LVII, 11) : iterationes, duplicata verba, prædictiones singulares (adversus Moab) indicant; nec obliviscuntur

revocare quomodo hæ divisiones, quibus quidam utuntur tanquam signis ad dispositum ordinem capitum nostrorum statuendum, e medio ævo tantum originem trahant, et Isaiæ sæculo penitus alienæ sint.

Non enodatius explicabimus num utraque harum contrariarum doctrinarum pariter a veritate discedat. Revera, in dubiis hujusmodi controversiis, nullam sufficientem rationem reperimus ad judicium bene comprobatum de quæstione nostra ferendum. Quamvis non obliviscamur eas necessarias esse ad difficultates explicandas et aream purgandam, nodum tamen et exitum problematis ex investigationibus similis generis non expectamus.

Liceat ergo nobis paucis verbis explicare quid nos facere debeamus ut per recta et certa itinera, ad fidum et stabilem exitum perveniamus.

Nostra sententia, non aptius quidquam est ad tempora quibus nostra septem et viginti capita scripta fuerunt, statuenda, quam ut historicam positionem, ab auctore nostro ex initio usque ad finem libri sui, sumptam accurate decernamus.

Hæc positio lucide definitur e præcipuis cogitationibus quæ, ut ita dicam, nucleum libri constituunt quem doctrinæ minoris momenti amplectuntur.

Cogitationes illæ simul numero perpaucæ et cognitu faciles sunt. Tres sunt; et tribus partibus congruunt, quas secundum Delitzschii doctrinam in libello nostro agnoscimus, denegato tamen æquali ordine de quo supra mentio fuit.

Primæ partis, capita XL-XLVII continentis, media doctrina in hoc ponitur : proximæ Judæorum a servitute

liberationis nuntiatio et liberatoris a Domino uncti et electi ad hanc salutem operandam indicatio.

Secunda pars (cap. XLIX-LVII) doctrinam servi Domini præcipue continet, et hanc in summum perducit.

Tertia pars (cap. LVIII-LXVI) gloriæ templi et Hierosolymæ narrationem includit. Vividam descriptionem benedictionum quæ populum e servitute ereptum exspectant nobis affert, et nuntiationem commutationis animi omnium gentium, quæ ad Dei veri restaurata altaria dona ferentes properabunt.

Veniamus ergo ad hanc investigationem, factisque concludendi curam permittamus.

PRIMA PARS. — CAP. XL-XLVII.

AUCTORIS HISTORICA POSITIO. PROXIMÆ LIBERATIONIS NUNTIATIO. LIBERATORIS AD HANC SALUTEM ELECTI INDICATIO.

Nullum dubium est de locis et temporibus quibus mediis auctor vaticinationes suas et eventus qui eas comitantur disposuit. Procul dubio Babylone est, exsilii ætate, et ut verius dicamus, ultimis quidem exsilii diebus.

Terra Chanaan in solitudinem mutatur (cap. XLII, 4) : Jerusalem jam eversa, templumque destructum (XLIV, 26; LI, 3; LII, 9; LVIII, 12.)

Gens tota, hostium præda, captiva, patria exsul, servitute aliena oppressa (XLII, 22 et ss.; LII, 2 et ss.). Hæ calamitates populum jam diu attigerunt. De manu Domini duplicia suscepit pro omnibus peccatis suis (XL, 2). Quapropter propheta missus est, ut populum consoletur et diem veniæ et liberationis annuntiet (cap. XL, 1; XLIV, 26; LII, 7 et ss.; LX).

Juxta hæc tam affirmativa indicia, gentium enumeratio quæ iisdem temporibus fuerunt evidentius etiam ætatem definit quæ auctori nostro sub oculis est. Assyrii qui tantum locum in veteris Isaiæ cogitationibus occupant, silentio nunc prætermittuntur quasi non jam existant.

Chaldæi nunc proscœnium implent (XLIII, 20; XLVII, 5, etc.); et jam e certis signis cognosci potest eorum potentiam in extremo esse. Gens nova in conspectu emergit, parata ad victores Assyriorum vicibus suis delendos.

Quibus expositis, facilis est conjectura auctorem nostrum facta exhibere quæ vitæ Isaiæ ætate multo posteriora sunt. Non potuit ergo Isaias hæc capita scripsisse nisi quis arbitretur auctorem nostrum vi propheticæ inspirationis ætatem suam antecessisse, et duo sæcula ante eventum futura nobis depinxisse, quasi ipse eorum testis fuisset. Textus enim tam multa accurata exactaque indicia patefacit, ut non ab alio homine quam ob oculato teste oriri posse videantur; et si eorum originem e propheta quinquaginta et centum annos ante sæculum ab eo descriptum vivente, trahere debeamus, certe ante oculos nostros specimen propheticæ potestatis ponitur, cujus non alterum exemplum in sacris litteris unquam occurrit.

Ab initio, propheta liberationem nuntiat quasi hic eventus non modo propinquus, sed etiam præsens sit : « loquimini ad cor Jerusalem et advocate eam, quoniam completa est ejus servitudo (XL, 2); » « Dic civitatibus Juda : ecce Deus vester, ecce Dominus Deus in fortitudine veniet, et brachium ejus dominabitur (XL, 9-10). »

Crescet hic sensus, si e salutis nuntiatione ad prædictionem liberatoris venerimus quem dominus unxit ut instrumentum libertatis fieret : « Noli timere quia ego tecum sum..., et auxiliatus sum tibi (XLI, 10). »

« Ecce servus meus, suscipiam eum; electus meus, complacuit sibi in illo anima mea (XLII, 1). » « Dominus

sicut fortis egredietur. Sicut vir præliator suscitabit zelum. Vociferabitur et clamabit, super inimicos suos confortabitur, etc. (Vers. 13). » « Ecce ego *facio nova* et nunc *orientur* utique cognoscetis ea ; XLIII, 18.

Nec id satis habuit propheta ut proximum Messiæ adventum prænuntiaret : *nomine proprio* illum vocat. « Qui dico Cyro, pastor meus es. et omnem voluntatem meam complebis » XLIV, 28. « Hæc dicit dominus *christo meo*, Cyro», XLV, 1.

Ceterum multa indicia probare videntur prophetam victricis expeditionis Cyri adversus Babylonem testem fuisse. Sic cap. XLIV, 27, legimus : « dico profundo : desolare et flumina tua arefaciam. » Nonne his verbis artificio perspicue alluditur quo, ut fama narratur, Cyrus per flumen ab alveo suo eversum, civitatem intravit? Nonne eidem facto quoque alluditur quum versu secundo sequentis capituli legitur : « Portas æreas conteram et vectes ferreos confringam. » Hæc de cancellis æreis dici videntur ad introitum et ad exitum mœnium positis et quibus fractis Cyrus urbe potitus est.

Mihi dubium est, an (ut quidam dixerunt) militari signo Cyri allusum sit, qui in aquila, summa hasta infixa constabat, quum dicitur cap. XLVI, 11 : voco ab oriente *aquilam*.

Sed multi versus doctrinam confirmant, auctoris oculati testis. Sic in capitulo XLIV, 18 : « Qui dico Jerusalem, ædificaberis et templo fundaberis. » Nonne videtur auctorem edictum Cyri cognovisse? In capitulo XLII, 11, e prophetæ sermone apparet eum decreti textum ipsum legisse.

Auctor aliquoties usque in minima facta descendit

quæ singularem et propriam experientiam morum patefaciunt, et suspicionem evocant ipsum temporum et eventuum quæ depinxit coætaneum fuisse. Ita cap. XLVIII, 6, 8 : « Audita feci tibi nova : nunc creata sunt, et non ex tunc, » etc.

Alii versus avidam spem aperte patefaciunt horum qui proximam sed nondum effectam liberationem exspectant : « Exspectavimus lucem, et ecce tenebræ, splendorem et in tenebris ambulavimus. Palpavimus sicut cæci parietem, etc. Cap. LIX, 9, 10. Vide quoque LVI, 1, 3. « *Juxta est* salus mea *ut veniat,* » etc.

Quidam versus suspicionem oculati testis Babylone viventis et quæ omnia videbat narantis, augent ; sic in hoc versiculo : « Et non dicat Eunuchus : ecce ego lignum aridum. » Nam ademptæ virilitatis consuetudo inter Judæos severe prohibita, Babylone quam maxime usitata erat : itaque hæc prolatio quæ a propheta Jerusalem vivente non intelligi posset, in ore prophetæ Babylone viventis facile intelligitur.

Alia indicia inter Babylonicos mores nos transferunt. Sic cap. LXV, 4, 3. « Qui immolant in hortis et sacrificant super lateres ; qui comedunt carnem suillam etc. » Cuncti fere critici de veritate et significatione hujus facti consentiunt : Babylon patria erat coctorum laterum. Hæ consuetudines, in sepulchris habitandi, carne suillâ vescendi, e vitæ quotidianæ moribus depinguntur ; et Hieronymus jam de Babyloniis dicebat : « In delubris idolorum stratis pellibus hostiarum incubare soliti erant, ut somniis futura cognoscerent (1). »

(1) Comm. in Is., l. XVIII, c. 65.

Ex his omnibus prælatis, — et exemplorum subditio, valde haud exhauritur — concludere licet nos narrationem sub oculis habere quæ lectorem in tempora ab ætate Isaiæ maxime distantia transfert, et multis indiciis demonstratur auctorem in diebus et locis a se depictis vitam egisse. Hæc ergo duplex optio nobis datur ut de tempore libri nostri compositi statuamus : aut, auctor noster Cyri tempore vixit, quum Babylon à Persis subacta fuit, scilicet duo fere sæcula post Isaiam, et hac de causa, Isaiæ non assimulari potest ; — aut admittendum est Isaiam inter Hebræorum prophetas talem vaticinandi potestatem exhibuisse ut antehac, nihil paris unquam acciderit, nullumque novum exemplum posthac unquam repertum fuerit ; et quod adeo magis mirandum est, nullus inter ejus eminentissimos successores his vaticinationibus alludit.

Est-ne hujus ultimæ doctrinæ facilis defensio? Vir doctissimus Segond (*Encyclopédie des sciences relig.* art. *Esaie*) hanc sententiam sequitur, nobisque asserit omnem prophetiam negari si quid ejus potentiæ auferatur. Non possumus ita sentire; nostroque judicio hæc tota controversia ante bene oculatam scientiam ad hoc reduci debet, num omnia quæ de propheticæ vi cognoscimus nobis facultatem dent, ut factum tanquam demonstratum admittamus, quod certe inauditum et inexpertum esset, si ut fama traditur, Isaias nostrorum capitum auctor sit.

Duplex periculum vitandum est, dum hanc difficultatem delucidare conamur. Primum veteris theologiæ opinio est quæ prophetas pro viris habuit quorum singulare munus esset futura prædicare, et qui, si dicere liceat, obe-

dientia instrumenta fuissent quibus spiritus Dei utebatur ut ventura prænuntiaret. Hæc doctrina quæ ab Ecclesiæ patribus originem ducit usque ad nostram ætatem manet ; et Hengstenberg nostris temporibus ejus eximius et pertinacissimus propugnator fuit. Secunda opinio theologorum qui dicuntur novatorum est quorum Eichhorn antesignanus exstitit, et quæ prophetarum divinam illuminationem funditus abjicit. Nihil aliud in eorum vaticinationibus videt, nisi mentis humanæ, industriæque hominis innatum fructum.

Maximi interest, ut veram rationem per has contrarias doctrinas sequamur, nos naturalem significationem intelligere vocis *nabi*, qua plerumque in hebraica lingua propheta designatur.

Re diu pensitata, e Gesenii omniumque commentatorum sententia, hoc verbum, *internuntium* vel *interpretem* Domini apud homines nobis indicare videtur : hicque sensus multis versibus in quibus maxima significantia est, probatur. (Vide Exod. IV, 16 ; VIII, 1 ; Deuter. XVIII, 18 et ss., etc.) (1).

Vox προφήτης qua septuaginta *nabi* transferunt, eumdem sensum habet. Verbum προφήμι enim, non in sensu *prædicare* refertur, sed *palam proferre*. Eodem sensu profani auctores utuntur. Προφήτης, ut ita dicam, Μάντει opponitur cujus verba transferenda sunt, ut intelligantur. Itaque sic Pindarus in hoc versiculo loquitur,

Μαντευέο, Μοῦσα, προφητεύσω δ'ἐγώ (2).

(1) De hac doctrina vide Bleek : Einl. in d. A. T., p. 305 et seq., ed. Wellhausen.

(2) Fr. CXVIII.

Hanc eamdem significationem in Pauli epistolis reperimus ubi inter προφητεύειν et γλῶσσαις λαλεῖν accurate distinguitur.

Ex his omnibus indiciis sequitur summum prophetæ munus naturaliter ethicum esse. Prophetæ mediatores Iehovæ apud populum sunt : sicut fœderis custodes instituuntur, ut populum ad viam rectam reducant, quum eam deseruit. Intactam Jehovæ communicationem cum populo ejus servare debent et parvorum, regumque pravitatem et flagitia reprehendere. Sive, quum Domini castigationes denunciant, seu quum venturas benedictiones fatentur, semper divinæ voluntatis interpretes, Dei que vigilibus similes apparent.

Quapropter recte dicit Nitzschius (*System der Christ. Lehre*, p. 55) officium puræ et obviæ voluntatis Dei revelandæ multo potentius esse apud prophetas, munere revelationis futurorum.

His autem dictis, non prætermittendum est prophetas nobis quasi homines divino animo afflatos depictos esse, et quibusdam rebus circunstantibus ad ventura prænuntianda etiam paratos.

Nullo dubio, Hebræi eo modo eorum munus intellexerunt. Deuteronomium nobis hujus facti singulare testimonium præbet (Cap. XVIII, 20 et seq.) : « Quod si cogitatione tacita responderis : quomodo possum intelligere verbum quod Dominus non locutus est ? Hoc habetis signum. Quod in nomine Domini propheta ille prædixerit, et non evenerit hoc Dominus non locutus est. » Sæpe populus aut reges ad prophetas confugiunt ut Dominum rogitent et futura illis vaticinentur ; ita

ut Judæorum doctrinæ de prophetis nihil insit dubitationis.

Hac re pro manifesta habita, ad novam rem veniamus quæ nos in medium problema nostrum inducet. Quoties interrogatur propheta de *persona aut de speciali eventu*, qui *ad privum commodum* vel *populi vel personæ pertinet* toties fit responsio ejus *tam claris accuratisque verbis*, ut lex Deuteronomii antea prolata exsecutionem suam reperire possit. Sic se res habet quum propheta Michæas regibus Achab et Josaphat, prædicta jam eorum clade addit : « Si reversus fueris in pace, non est locutus Dominus in me ; audite omnes populi. » (II chron., XVIII 27.)

Sic etiam, quum Isaias in occursum Achaz egreditur et ei dicit : « Noli timere et cor tuum ne formidet, duobus caudis titionum fumigantium istorum. » (Is. VII, 3, 4)

Sic, quum idem propheta ad regem Ezechiam mittitur ei que de Snacherib, ejusque exercitu sic prædicat : « Non intrabit hanc civitatem, et non jaciet ibi sagittam. » (Isa. XXXVII, 23.)

Ita, in sequenti capite, ubi Isaias ad regem loquitur : « Hæc dicit Dominus, Deus David, patris tui ; audivi orationem tuam et vidi lacrymas tuas ; ecce ego adjiciam super dies tuas quindecim annos. » (1).

Hæc omnia exempla satis aperte demonstrant donum futura prædicendi prophetis attributum fuisse, et hujus

(1) Vide quoque Es. XX ; Jerem. XIII. 1, 9 ; Ezech. XII, 2, 12, etc. Aliquid simile in novo Testamento occurrit, de propheta Agabo. Act. XI, 28 ; XXI, 71.

doni veritatem et potentiam adimpletione prænuntationis quorumdam eventuum sæpe probari.

His autem dictis et ne discedamus a fundamento accuratæ observationis factorum, nunquam parem veritatis subtilitatem reperiemus (nostris capitibus exceptis) si a privatis singularibusque commodis, in eas causas transierimus quæ ad totius populi commune beneficium et salutem pertineant : hæcque consideratio, nobis maximi momenti est ad investigationem nostram.

Hæc diversitas præcipua apparet, quoties seu de messianicis vaticinationibus, seu de futuris populi fatis agitur.

Hic prophetæ ethicum munus, potestatem futura prævidendi præcellit. Salus quidem aperte prænuntiatur, liberatio veniet, liberatorque gloriam suam ostendet. Sed dies, locus, modus semper incerti manent. Propheta dum cogitationem suam explicat ad poeticæ formæ lineamenta recurrit, quæ Pauli verba plane justificant : ἐκ μέρους προφητεύομεν (1 Cor., XIII, 9).

Nobis igitur fas est sequentes regulas velut certa criticæ principia ponere.

1° Omnes vaticinationes quæ ad generalia commoda communemque spem Judæorum pertinent, semper incerto, infinitoque modo enuntiantur.

2° Pro certo habemus omnes prophetas sub impulsu ipso divini spiritus plenam perfectamque sui potestatem servare, nobisque nullum exemplum extasis præbere usque ad sui conscientiæ oblivionem prolatæ. Perlucidam semper mentis perspicuitatem servant, totamque memoriam rerum de quibus seu actum seu locutum est

retinent. Qua de causa diversitas inter μάντιν et προφήτην maxima evidentia profertur. Sicut Paulus dicit πνεύματα προφητῶν προφήταις ὑποτάσσεται. Hæc doctrina satis constat e facto quod multæ prophetiæ, plurimis annis postquam jam dudum enuntiatæ essent, scriptæ erunt.

Ex his omnibus sequitur quam difficile sit intelligere quomodo propheta, dum plenam notionem de omnibus a se, seu actis, seu dictis servat, sese media in tempora transferre posset, quæ valde a gente sua et a temporibus vitæ suæ distarent. Nullum indicium per totam prophetarum historiam nobis offertur quo demonstrari possit quomodo propheta quidam fere duo sæcula ante exsilium vitam agens, vaticinationem suam medio hujus exsilii tempore locaret, nomina virorum his futuris ætatibus venturorum indicans, ita ut veram historiam duo sæcula ante eventum anticipavisse videretur.

Omnia imo nobis ostendunt prophetam se nunquam e mediis eventibus et locis eripere quibus vixit. Et quum agitur de ætate statuenda in qua vaticinatio quædam scripta fuit, satis est si certa indicia nobis det de locis eventibusque quibus mediis sese evolvit ut certe dicere possimus: « in tali tempore indubitate scripta fuit. »

Itaque contra Hengtenbergii, doctorisque Segond doctrinam concludimus, sententiæque Bleekii assentimur (Einl., p. 336). Si unquam prophetiam reperiamus in qua Judæi quasi jamdudum e regione eorum pulsi et in servitutem gentis alienæ redacti depingantur; si populus se spe proximæ liberationis hac prophetia consoletur; si de reditu in patriam, vel de civitate et templo restituendis mentio fiat, noli dubitare hanc prophetiam ab auctore temporibus exsilii vivente scriptam fuisse.

Hæc conclusio tam naturalis apparet, ut difficile sit eam rejicere. Delitzschius ipse, prudentissimus inter traditionis propugnatores nullum nobis idoneum argumentum in commentario suo in Isaiam, adversus doctrinam nostram affert. Difficultatem effugit, hoc celeberrimo versiculo prolato :

Le vrai peut quelquefois n'être pas vraisemblable.

Perarguta quidem probatio est, sed non ad auctoritatem libri statuendam apposita. Attamen priusquam argumentum concludamus, liceat nobis ad studium secundæ partis propius accedere.

PARS SECUNDA. — Cap. XLIX-LVII

DE NOTIONE SERVI DOMINI.

Nomen « servus Domini », non est verbum nostro prophetæ proprium. In plurimis Veteris Testamenti libris, varioque interdum sensu indutum, nobis occurrit. Ita apud Job IV, 18, angelos Dei designat.

Apud Jeremiam (XXV, 9, et XXVII, 6) regi Nabucadnetzar attribuitur, et illius mandatum divinum demonstrat. Hæc autem exempla fortuita, raraque sunt, et verbi veram significationem exteriori modo tantum attingunt. Sæpius sancti scriptores illo utuntur ad viros designandos quos Deus instrumenta voluntatis et consilii sui fecit, seu Abrahamum (Gen., XXVI, 24), seu Isaacum et Jacobum (Deut., XI, 27), seu tandem Moysem (Deut., XXXIV, 5; Exod., XIV, 31) : « et crediderunt Domino et Moysi *servo* ejus. »

Posterius, Josue et David hoc nomine etiam nuncupantur (Jos., XXVI, 29; Is., XXXVII, 35).

Ampliore sensu, idem verbum quosdam hominum ordines designat Dei officiis specialiter sacratos, sive sacerdotes (Ps. CXXXIV, 1), sive prophetas (Jer., VII, 25), sive etiam Dei rectos simplicesque famulos (Job, I, 8).

Extensa etiam significatione, hoc nomen toti populo Israel, divina electione vocato, transfertur, dum Abraham semen tanquam persona una cogitatum, « Filius

Dei », seu, « Dei electus » appellatur (Exod., IV, 22; Deut., VII, 6; Oseas, XI, 1). Publica ejus vocatio in hoc mandato constat « ut toto corde Domino Deo serviat » (Deut., X, 12, 20). Omnia populi membra, *Dei servi* nominantur; et hoc nomen singularem dignitatem, titulum nobilis generis indicat, cujus virtute Judæi in servorum conditionem venire non possunt (Lev., XXV, 42, 45; 1 Chr., XIV, 13).

Hunc ultimum sensum auctor noster assumit illique nova incrementa, maximumque momentum affert. Nomine servo Domini vocationem seminis Abraham, extollit. Quum etiam contra Deum resistit, et a Deo castigatur, quum in servitutem reducitur, hæc ejus vocatio semper manet; hique diversi status, in quibus servus Domini ostenditur, idoneam occasionem nostro prophetæ præbent ut hanc notionem variis modis explicet. In plerisque locis capitulorum nostrorum quibus servus Domini nobis obvenit, hoc nomen, totum populum a Deo electum, ut illi serviat, et ab eo benedicatur, designat. Huic notioni altera cogitatio arcte hæret, scilicet, hujus seminis proprium munus in hoc facto constare, illud per sæcula salutis nuntium instrumentumque fieri (1).

Eodem cogitationum genere, sed restricta quodam modo significatione, hoc nomen fidelem hanc partem populi quæ Deum non reliquit, revocare in memoriam videtur.

Sensu in angustum quoque magis deducto, vox « servus Domini », collectivam personam designat, exempli

(1) Vide cap. XLI, 8; XLIII, 10; XLIV, 1; XLV, 4; XLVIII, 20; XLIX, 35, etc.

causa, prophetarum ordinem (XLII, 1, 19; XLIV, 24; LX, 4, 5; LXI, 1, 3). Tandem, angustissima significatione, prophetæ cogitatio a versu 13, capitis LII, usque ad duodecimum versum capitis LIII, in specie unius incorporalis personæ contrahi videtur, quæ totam servi Domini doctrinam in se continet. Imo, hujus servi imago singularibus lineamentis depingitur ita ut nulla talis species unquam apud prophetas reperiatur. Hæc effigies hominis contempti, supplicio affecti, posteaque glorificati talem et tantam cum Redemptoris imagine similitudinem offert, ut Christiana traditio, in ea anticipatam narrationem dolorum, piacularis operis et resurrectionis Christi nacta sit. Quapropter hoc capitulum, sæpius quintum Evangelium nominatum est, et in nullo non versu patres Ecclesiæ quædam passionis Christi lineamenta reperire conati sunt. Sic LII, 14, oris et corporalis formæ Christi descriptionem intellexerunt, in quintodecimo versu Magorum regum adventum, capite LIII, 5, flagellationem et crucem : in versu septimo silentium coram Pilato; in nono versu Josephi Arimathensis sepulchrum, etc.

Non pertinet ad investigationum nostrarum ordinem ut inquiramus num hæc capituli LIII descriptio plus aut minus cum quibusdam vitæ et mortis Christi lineamentis arcte congruat. Attamen, quædam hujus quæstionis partes ad problema nostrum proxime accedunt.

Nam traditionis defensores hujus congruentiæ auctoritatem et exemplum proferunt, ut Isaiam capitulorum nostrorum esse auctorem demonstrent. Reverà quidem, si prophetæ possibile fuisset, paucis accuratis, certisque

indiciis totum Salvatoris vitæ orbem describere, imo, multo facilius esset ut crederemus Isaiam sese cogitatione duo sæcula post tempora vitæ suæ transferre potuisse, nobis ætatis exsilii eventus depingere et nomen ipsum liberatoris populi servitute coacti prænuntiare. Maxime ergo nostrà refert ut veram cogitationem auctoris accurate exsequamur et totam significationem nominis Servi Domini planam faciamus.

Hoc argumentum sine dubio constat, silicet auctorem nostrum à doctrinâ collectivæ notionis Servi Domini proficisci, ut ad doctrinam unius personæ ad finem perveniat. Hac de causâ, species quâ Delitzschius hujus doctrinæ sensum expromere conatur, nobis rectissima apparet. Imagine pyramidis utitur. Basis pyramidis notioni totius populi par est, sicut stirpis electæ et a Deo vocatione singulari glorificatæ, comprehensi. Hæc basis paulatim in angustum exit, et mediâ altitudine imaginem fidelis partis veri fœderis custodis refert. Excelsius ad culmen perveniemus. Hoc summum cacumen puram essentiam populi, ut ita dicam, effingit. Basi oppositum nihil aliud nobis nisi unius personæ notionem proponit cujus effigie pura et incorporalis imago veri Servi Domini ostenditur.

Non morabimur ad quæstionem disputandam utrum hæc unius personæ notio jam in capitulis XLII et XLIX (sicut multi commentatores contendunt), manifeste appareat, an secundum Œhlerii sententiam vox *Ebed* sensum collectivum usque ad quartumdecimum versum capitis LII servet, et ab eo versu usque ad finem capitis LIII significationem unius personæ induat. Nobis solum perquirere interest nûm hæc notio in nostris capi-

tibus contineatur; et quum hæc doctrina si usquam in hoc libro reperiri possit sine dubio in capitibus LII, 14, LIII, contineatur hisque in capitibus suam perfectissimam formam attingat, ei in his duobus capitibus considerare debemus.

Dum ea libero animo legimus, ad doctrinam nominis Servi Domini propriam personam designantis, necessario pervenimus. Œthiops eunuchus, hujus opinionis idoneum exemplum præbet. « Obsecro te, ait Philippo, de quo propheta hoc dicit ? De se, aut alio aliquo ? » (Act. VIII, 24).

Ergo personam intelligit : eademque opinio in castris adversariorum traditionis sicut in castris defensorum ejusdem pariter occurrit. Alii sicut Grotius et Bunsen (Gott in der Gesch.) in nostris capitibus narrationem dolorum Jeremiæ reperiunt : alii sicut Ewald memoriam cujusdam inter tot inclytos martyres qui per supremam Judæorum imperii ruinam morte affecti sunt : alii descriptionem vitæ et mortis Salvatoris intelligunt. Omnes vero, de persona agi contendunt.

Res ardua non hic jacet : locus in quo operæ plurimum nobis ponitur, in hoc constat, ut veram naturam hujus personæ planè circum scribamus.

Totum problema ad hoc reducitur : Agiturne de populo pro ethicà personâ habito, de purâ essentiâ gentis Judæorum sub effigie hypostasis incorporalis figuratâ, quâ concreta imago Servi Domini voluntatis Dei custodis, salutisque mundi instrumenti nobis offertur.

An, de novissimo sensu nominis Servi Domini fortasse agitur ? Hæc ne hypostasis de salvatoris personâ intelligenda est ? Eo difficilius est hanc quœstionem solvere,

quod hæ ambæ doctrinæ, quamvis inter se magnopere dissentiant, multis locis talem congruentiam habent, ut sæpius in unum coeant; novaque doctrina orta est, in quâ messianicæ prophetiæ elemento, collectiva notio Servi Domini omnino pæne prætermissa est.

Reipsa non mirandum est si pius Ecclesiæ instinctus principium prophetiæ neglexerit, ad indicia necessitatibus suis idonea in lucem proferenda. Sicut Bleck considerate intellexit (*Einl.* p. 329), omnes prophetiæ quæ ad manifestationem vel consummationem salutis pertinent, doctrinam venturi Messiæ implicite continent. Propriâ earum naturâ spem redemptionis pacisque divinæ verbis effingunt. Populus totus intelligit possessionem terræ Chanaan non omnibus Dei promissis finem fecisse. Ut dixit auctor epistolæ ad Hebræos VI, 8; « si eis Jesus requiem præstitisset, nunquam loqueretur de aliâ poshac die. » — Hæc suspicio futuræ salutis summum culmen venturi ævi figurat ad quod omnium oculi vertuntur.

Hoc animi motu impulsi, Evangeliorum scriptores a prophetis prolationes transtulerunt, quas ad vitam Salvatoris accomodant, quamvis earum congruentia non semper manifesta sit : Errant tamen qui has collationes inconsiderate vituperant. Quædam intima visio veri intelligentiam Ecclesiæ flexit; hicque animi intuitus illam in errorem non duxit. Per omnes umbras, imaginem veri discrevit; et hæc intelligendi perspicacitas præcipue in capituli nostri LIII æstimatione sese ostendit. Servi Domini despecti et sicut ovem ad occisionem ducti similitudo cum viro dolorum evidentior erat quam ut cogitationem singularis congruentiæ non evocaret. Synagoga

ipsa non potuit quin crederet hanc prophetiam Messiæ notionem continere, per mortis angustias ad summam gloriam perventuri.

Jonathan-Ben Uziel (1) eam de prænuntiatione venturi Messiæ explicat, multique inter veteres Rabbinos huic doctrinæ in eorum Midrashim assentiunt. Verisimiliter nostræ prophetiæ vetus Judæorum traditio conjungitur Messiam sub leprosi formâ venturum esse. Christiana Ecclesia post apostolorum exemplum, eam in J. Christum contulit (2). Quapropter aliæ interpretationes omnes coram ea evanuerunt neque scientia critica unquam notionem Christi Salvatoris à capitulo LIII disjungere poterit.

Hæc existimatio partem veritatis et partem erroris continet; eaque contraria elementa sejungenda sunt, ut ad solutionem problematis nostri perveniamus.

Primo, non dubitandum est, capitulorum nostrorum auctorem, notioni Servi Domini amplitudinem dare quam alii prophetæ nunquam suspicati sunt. Satis fuit Jeremiæ ut hoc nomen genti Hebræorum conferret. Ezechiel, nomine Servo Domini, Davidem qui rex in æternum erit, nuncupat. Neuter vero horum prophetarum incrementa intellexit quæ hæc doctrina acceptura erat.

At propheta noster eam undique illustriorem facit, ejus ubertatem mirabili demonstrationis subtilitate explicat, eamque sicut pulcherrimam eminentissimamque

(1) A. Delitzschio prolatus. Comment., p. 523.

(2) Math. VIII, 17; XX, 28; Luc. XVIII, 31, 32; XXII, 37; XXIV, 26, 44; Jos. XII, 38; Act. VIII, 32, 35, etc.; 1 Petr. II, 22, 25.

vaticinationem veteris Testamenti supra omnes prophetias extollit. Liceat nobis præcipua capita hujus doctrinæ exponere. Jamdudum vidimus quomoda e collectiva notione servi Domini, auctor ad concretam cogitationem partis populi pervenerit. In capite LIII hæc cogitatio magis etiam sese contrahere videtur, ita ut ad notionem unius personæ accedat.

Sic, quamvis propheta de peccatis totius populi sæpe loquatur (vid. cap. LVIII, 12; LXIV, 5 et ss.), hic de servo Domini dicit, illum nullam injuriam commisisse, oreque suo nullam fraudem repertam fuisse (vers. 9).

Imo, servus Domini non solum salutis Dei nuntius sed etiam patrator est. A Deo prophetiæ munus recepit. Jehova in eum spiritum suum reponet (XLII, 1, 6). Linguam illi dat, ut Domini mandata dictitet, Dejectos, defessosque sustentare debet. Ore servi sui Dominus utitur, quasi acri gladio seu acuta sagitta.

Præter propheticum munus illi theocraticum officium datur. Ipse ad Dominum debet Jacob revocare, et ad Deum suum Israel congregare. Novi fœderis Dei cum populo mediator fiet. Fœdus prius totius populi peccatis fractum est : servi Domini dolores hoc restituent (LIII. 4, 5.).

Doctrina quæ hic enuntiatur notionem consortionis communis culpæ transgreditur. Secundum versum quintum pæna quæ nobis salutem affert, in servo Domini nititur. Ejus dolores culparum quas non commisit pœnæ sunt : ejus vulneribus sanamur.

Quædam ergo substituo hic indicatur ; et servus Domini, salutis auctor factus, nobis sub imagine veri sa-

crificii ostenditur. Ad hæc nova et tanti momenti indicia, alia quoque accedunt.

Si patitur, Dei voluntate hoc accidit, nam in eo iniquitatem omnium nostrum posuit (vers. 6). Hi dolores igitur decreto voluntatis divinæ referuntur. « Dominus voluit conterere eum in infirmitate (v. 10). » Tandem, quasi servus Domini his mandatis Dei responsum præbere vellet, in v. 7, ea lenitate et humilitate decreto divino submissus apparet, ut omnia indicia voluntariæ obedientiæ nobis præbeat : « Non aperuit os suum ; sicut ovis ad occisionem ducetur, et quasi agnus coram tondente se obmutescet (v. 7)... Tradidit in mortem animam suam (v. 12). »

Postremo, ut ad cogitationis suæ fastigium perveniat, propheta novam doctrinam eloquitur quæ nihil aliud nisi spes resurectionis est. Quia sese morti tradidit, « posteritatem videbit, diesques suas continuabit. »

Si etiam cum Reussio admittamus hic de collectiva persona mentionem fieri quæ calamitatibus obruta, etiam tamen superest, nihilominus certum constat, nobis notionem proponi cui nihil simile per totum vetus Testamentum reperitur : hic, suspicio sublimis hujus resurrectionis et vitæ nobis offertur, quam, vertentibus sæculis novi fœderis mediator patefaciet.

Ad vitam reversus, servus Domini fructu laboris sui fruetur. Oculos suos spectaculo officii sui absoluti pascet ; potentibus terræ par erit, spolia victoriæ cum eis partietur ; et ita, triplex munus prophetæ, sacerdotis et regis, in semetipso conjunget.

Ita, Messiæ notio, jamdius in corde totius populi celata, paulatum ascendit, mirandaque transfiguratione usque ad intelligentiam sanctissimæ, perfectissimæ-

que personæ quæ unquam imaginem Dei ipsius per homines patefecerit, in sublime fertur. Ut dixit Œhler hoc capitulum, summum cacumen edifici prophetiæ constituit, et altissimo ejus vertice, justum est crucem pangere. Hac doctrina Ecclesia potita est, et hanc solam doctrinam agnoscere voluit. Corticem rejecit ut sapidum fructum retineret. Illi hoc jus erat, quodamque modo officium.

Sed nosmetipsos ne fallamus! Corticem rejecit, nobisque etiam jus est et officium ut agnoscamus hunc corticem maximi momenti esse, quum de tempore quo hæc prophetia scripta sit statuendo res agatur. Nunc, nobis opus est demonstrare in quibusnam capitibus traditionis sententia a veritate historica deflexerit, ut textus investigatione manifestum est.

Primo, notatione dignum est nomen Messiæ nunquam ex sensu theologico, servo domini tributum, soli Cyro in nostris capitulis addici.

Præterea, dolores servi Domini nobis depinguntur quasi jamdiu percepti essent, Ad præterita, non ad futura versantur. Itaque, in futuri Redemptoris passionem recte conferri non possunt. Ceterum quæcumque fuerit posterius synagogæ doctrina, numquam apud prophetas mentio fit de contempto et dolore affecto Messia. Dolores de quibus propheta loquitur publicam gentis Hebræorum ruinam depingunt. Doctrina de peccatis ferendis, in sensu piacularis sacrificis in textu non continetur. Agitur solum de doloribus sustinendis quia peccatorum effectus sunt.

Tandem e versibus quartodecimo et quintodecimo capitis XLII, manifeste ostenditur prophetam labores

servi Domini exsilii temporibus limitasse, et ad finem hujus ætatis victoriam et præclarum triumphum ejus prænuntiasse. Ex quo aperte sequitur prophetæ doctrinam usque ad cogitationem Christi glorificati numquam sese extollere. Ut Delitzschius ipse confitetur, propheta terminos Veteris Testamenti veræque humanæ naturæ non excedit (Comment. in Is., p. 534). Quæcumque ergo incrementa sint quæ in sequentibus sæculis nostri prophetæ doctrinæ adjuncta fuerint, præcipueque de congruentia sua cum vita hujus qui omnis prophetiæ plenitudo fuit, e nostris investigationibus hæc argumenta aperte consequuntur :

1º Nomen servus Domini in auctoris nostri ore, populum Dei sicut ethicam personam conceptum designat, et purissima forma conjunctionem hujus electi populi cum Deo, depingit.

2º Dolores de quibus mentio fit ad labores pertinent quibus Israel pro peccatis suis subditus fuit, et quorum miseriæ, opprobria jugumque servitutis summum discrimen figurant : opprobria quidem quæ populi pars fidelis cum acerbiori doloris sensu quam infidus Israel sustulit.

3º Quia servus fidelis hos labores passus est, et duplicia de manu Domini pro omnibus peccatis recepit, Deus eum ex imo malorum gurgite eximet, eique eo majorem gloriam et felicitatem largietur, quo miserior et infelicior factus fuit.

His dictis, et ut antecedentis investigationis argumentum concludamus, quo tempore perscriptionem doctrinarum quas breviter perlustravimus statuere debemus ?

Me judice, sequens responsio obvia est, similes cogi-

tationes nunquam tali forma scriptas fuisse, si non per tempora exsilii et ab auctore qui æqualis hujus ætatis erat, scriptæ essent. Si verum sit cogitationes prophetæ nostri omnes anteriores prophetias tanta altitudine superavisse, ut a collectiva doctrina servi Domini usque ad visionem unius personæ perveniret quæ anticipata imago sancti sanctorum facta esset; si vere notio doloris sub ejus calamo tam spiritalis fieri posset, ut sicut centrum prophetiæ appareret, cujus Christi mors suprema adimpletio fuit, nemini quidem hanc notionem tribuere possumus, nisi auctori cujus sub oculis talia eventa evolverentur ut ejus animus illo miro et incomparabili impetu ad excelsa sublatus esset. Necesse est ipsum cunctas calamitates et miserias dispersionis per sævas gentes, procul a patria, et sub jugo servitutis propriis oculis conspexisse. Necesse est ipsum proprio corde amaritatem expertum fuisse quæ totius populi cor implebat; ita ut experientia dolorum populi onere tanto obruti, in anima ejus restitutionis sitim accenderet, ardentemque spem misericordiæ Dei qui non in perpetuum irascitur. Necesse est, adspectum parvi seminis adhuc relicti notionem fœderis Dei cum populo suo ita perlucidam fecisse, ut doloris imago quodam divino intuitu transfigurata illum in hanc sublimem cogitationem viæ dolorosæ, in triumphalem viam conversæ adduceret.

Si, his omnibus perpensis, in rationibus nobis allatis nulla veritatis pars contineatur, nihil nobis superest, nisi portentum conclamare.

Sed quæ quum ita sint, qua de causa explicandum sit Jeremiam aut Ezechielem, hanc vaticinationem ceteras

longe antecellentem silentio prætermisisse? Et tamen jamdiu ante eos in Israel vulgata fuisset!!

Nonne Anatothis *videns* aliud esset nisi clara imago prophetæ fide constantis et in cruciamentis impavidi, si ante oculos scripta habuisset quæ pulcherrimis cantibus proximam liberationem prænuntiarent?

Nûm Ezechiel ordinem dignitatis sacerdotum ita, ut fecit, dividisset, si ducem cogitationis suæ hunc habuisset, qui de servo Domini, rege sacrificatore et propheta magnificis verbis locutus esset?

Talis conjectura nos coram inenodabili impedimento collocat; omnesque rationes nos ad primam nostram conclusionem iterum referunt. Hæc capitula, circa finem exsilii scripta fuerunt. Auctoris cujusdam opus sunt qui dolores populi vidit, eorum particeps fuit, et ab imis calamitatibus gentis suæ vocem spei extulit, dum proximum aditum restaurationis prænuntiaret.

TERTIA PARS

De salute omnibus gentibus allato. — De gloria Hierosolymæ et Templi. — De benedictionibus populo Israel tributis et de conversione gentium.

Nullo dubio, doctrina ex qua Hebræorum populus olim lux omnium gentium futurus erat, temporibus exsilii valde antiquior est, et radices suas in Hebræorum primam originem demittit : Revera usque ad diem respicit qua Abrahamo dictum est : « Benedicentur in « semine tuo omnes gentes terræ » (Genes. XXII, 18). Primo adspectu ergo hic nullum indicium invenimus quod idoneum sit ad quæstionem de qua agitur explanandam.

Sed hæc opinatio mutatur si accuratius formam inspicimus, qua, in nostra subdivisione hæc doctrina induitur. Nullus inter prophetas priores notionem veri unius Dei, sicut auctor noster pertinaci perseverantia vindicat, Deique Israel supra omnes Deos præstantem potestatem extollit (1).

Novum indicium, auctori nostro proprium impetus satiricus est quo omnes idolorum cultus insanes insanesque formas consectatur. Nonnunquam rationalem ordi-

(1) Vide Cap. XL, 18, 25; XLIII, 10; XLIV, 6; XLV, 5, 18; XLVI, 5, et ss. LXIV, 4; XL, 12 et ss.; XLII, 5; XLVI, 1, etc.

nem, et cogitationum seriem intermittit, ut ad idem propositum redeat, nulla quidem formidine pulsus eadem iterum dicendi. « Faber ferrarius lima operatus « est. In prunis et in malleis formavit illud (simulacrum) » (XLIV, 12). « Artifex lignarius extendit normam formavit illud in runcina... Succidit cedros, tulit ilicem et quercus quæ steterant inter ligna saltus. Plantavit pinum quam pluvia nutrivit; et facta est hominibus in focum. Sumpsit ex eis, et calefactus est, et succendit et coxit panes. De reliquo autem operatus est deum et adoravit, fecit sculptile, et curvatus est ante illud. Medium ejus combussit igni..., coxit pulmentum et saturatus est, et calefactus est, et dixit : Vah! calefactus sum, vidi focum. Reliquum autem ejus deum fecit : curvatur ante illud et adorat illud, et obsecrat, dicens : « libera me, quia Deus meus es tu » (XLIV, 14 et ss.) (1).

Nonne ex illa cogitatione concludendum est, hanc doctrinam quotidiana consuetudine, familiarique commercio cum gentibus talem vim assecutam fuisse? Hebræi quidem, in omni tempore, idolorum cultum cognoverunt et semper propensi fuerunt ut Deum desererent et vanis simulacris servirent. Cura populum objurgandi ad mandatum prophetæ magnopere pertinet. Sed in capitulis nostris, e verbis acerrimis prophetæ supponendum est eum effigiem flagitiorum quæ vituperat, ante oculos habuisse.

Imo, si unquam prophetæ occasio idonea data fuerit,

(1) Confer XL, 19, 20, 21; XLI, 6, 7; XLIV, 7,8; LXV, 11; LXVI, 4; etc., etc.

ad proximam conversionem gentium prænuntiandam, in temporibus præsto est, quibus inexspectata liberatio Judæorum sapientiam et summam domini potestatem præclare patefaceret. Qua de causa, ad ætatem exsilii referimur.

Cæterum, omnes vel diversissimæ considerationes ad similem persuasionem nos perducunt. Liceat, exempli causa nos in prospectu hujus summæ prærogativæ componere quam certitudo electionis divinæ mature in corde Israel incusserat. Si unquam fidelibus Judæis in votis fuit ut omnes gentes a quibus oppressi fuerant vice sua pristinorum eorum servorum vectigales fierent, et se submissi flecterent coram Deo cujus sanctuarium summa coutumelia destruxerant, nonne aperte videtur hoc in tempore accidisse quo Israel diem jam introspiciebat qua vincula sua excutere posset, scilicet in ultimis exsilii diebus?

Contra liceat nos in prospectu doctrinæ salutis universalis quæ notione electionis tacite complectitur.

Quibusnam temporibus talis intelligentia optime sese proferre potuerit? Nonne quum conjunctissimum commercium, vitæque communis quotidiana consuetudo per duas hominum ætates, aversos populos quodam modo in gratiam reduxit, et à Judæorum superbià aliquid sustulit; scilicet in ultimis diebus exsilii?

Præterea duæ res circumstantes maximi momenti, singulare verisimilitudinis indicium considerationibus hujus ordinis addunt.

Primo, ad finem ætatis exsilii, Israel qui usque ad id tempus cladis opprobria cognoverat, nunc, primâ vice benefactorem inter gentes invenit. Rex quidam alienæ

gentis liberationis ejus instrumentum fit: et, quod antehac semper inauditum fuerat, princeps ille, familiæ Judæorum alienus, Dei legatus, pastor, Christus, à prophetâ vocatur. Tale eventum maxime idoneum erat ad gentes aversas et acerba memoria segregatas, iterum amicitiâ conjungendas. Benevolentia Cyri, qui liberationem pronuntians decretum faciebat ut Judæi Hierosolymam regredirentur, templumque restituerent, maxime in animis valebat, ut spes Judæos teneret non unum modo regem, sed omnes etiam reges gentium servos Dei Israel futuros esse. Quapropter rescriptio capitulorum quæ hanc spem conversionis gentium tantâ vi depingunt his temporibus contingit, quibus eventa ad talem spem concipiendam maxime idonea evolvebantur, scilicet in ultimis temporibus exsilii.

Secunda circumstantia cui allusimus non minus apta erat ad sejunctionis parietem eruendum. Agitur de similitudine divinarum doctrinarum. Usque ad id tempus, Abrahami semen nihil sibi obvium repererat nisi idololatrias quæ negatio absoluta fidei suæ erant.

Adveniente vero Cyro, res mutatur. In Persarum enim doctrinâ multa Hebræorum doctrinis similia erant. Conjunctio jam politicis eventibus parata similitudine sacrarum doctrinarum magis adjuta est, omnesque theologi in hac opinione consentiunt, Masdeismum maximi momenti fuisse ad explicationem fidei Judæorum post tempora exsilii.

Cuncta igitur hac ætate exsilii adjuvabant, ad claustra gentium refringenda.

Atqui, hæc cogitatio ab auctore nostro his in ultimis capitibus ante omnes extollitur, Vide totum cap. LV;

cap. LIV, 4, 8; LX, 10, 14; LXII, 2; LXVI, 12,22, etc.

Priusquam tamen ad conclusionem veniamus, restat ut quibusdam novissimis punctis animum attendamus.

Auctor enim, præter proximæ liberationis prænuntiationem iterum et sæpius splendorem sanctæ civitatis e ruinis egredientis describit, et gloriam, felicitatemque Judæorum ad sacrum montem reversorum depingit. Hæc omnia capita in quibus propheta hanc miram restitutionem effigit, vehementibus compellationibus intermittuntur, quibus propheta modo impietatem et idololatriam populi vituperat, modo populum ad pænitentiam incitat, iterumque ad triumphale suum carmen redit, et imaginem, imagini, picturamque picturæ adjungit. Ita cap. LIV futuram Judæorum felicitatem sedcribit. In capitulo LVI à nono versu usque ad cap. LVII, 14 violentissimis objurgationibus et minis populum criminatur. In cap. LVII, à versu quartodecimo, iterum ad compescendos luctus loquitur. In cap. LIX vi nova flagitia populi exprobrat. Tandem in cap. LX magnifica descriptio restauratæ Sionis iterum occurrit; sicque se res habet usque ad finem libri.

Ita ex his omnibus, hoc manifestum fit, prophetam adimpletionem vaticinationis suæ jam ante oculos habuisse.

Nihil avidius appetit quam salutis diem videre. Impedimenta ægre patitur; ex indignatione ad summam admirationem vicissim transit : hæcque omnia indicia oculati testis suspicionem deferunt.

Jam eundò, paucis verbis de doctrina tractavimus ex qua multi theologi, immoderato modo, hæc septem et viginti capita uno tenore et statuto ordine scripta fuisse

pronuntiant. Hæc ultima subdivisio nobis evidentius ostendit quantum hic de prophetia sæpius interrupta et sæpius resumpta agatur. Facile intelligitur quomodo Hebræi (pars saltem populi, rationis, moralisque disciplinæ particeps), Babylone perturbati incitatique essent, exspectatione imminentis rerum mutationis cujus exitus ad populi fata arctissime pertinerent. Itaque ad hunc prospectum omnes prophetæ cogitationes vertuntur. In omni tempore stilum prehendit ; modo quæ jam dixit rursus iterat, modo novum signum veteribus addit. Jam gloriam Dei celebrat, jam restitutionis spem extollit, jam populum hortatur ut ad hoc summum gloriæ cacumen se comparet : hæque cogitationes omnes prophetæ in animum irruunt et conturbantur. Lectori tamen nullum tædium afferunt, adeo hæc colorum confusio vitæ effigiem effingit. Vita ipsa est e facto deprehensa ; et ut similius veri est, de nullo auctore quæstio fit nisi de æquali propheta, de teste, qui eventuum à se relatorum pars fuit.

Sed, ut hanc demonstrationem perficiamus, nobis factum superest, nostra quidem opinione, maxime idoneum ad doctrinam nostram de tempore libri nostri compositi statuendam. Agitur de absoluta commutatione quæ in dicendi genere prophetæ nostri inter prima et ultima capita libri occurit, et singularem diversitatem manifestam facit.

Jam prius observavimus quam accurata diligentia auctor noster res etiam minoris momenti memoret. Hæc diligentia præcipue apparet quum propheta proximam liberationem prænuntiat. Liberatoris adventum profitetur, ejus proprium nomen indicat, ita ut pro-

phetia sua pæne omnia veræ historiæ indicia colligere videatur.

Nunc vero, res longe aliter se habet. Nihil ex illa judicii subtilitate, nulla dubitatione delibata in ultimis capitibus superest. Dum nuntius liberationis Cyrique adventûs, ab omnibus prophetis procul aberat, ex contrario, dum de restitutione templi, de gloria Hierosolymæ aut de conversione gentium propheta vaticinatur, ad commune dicendi genus omnium prophetarum redit. Poetica excellentia horum capitum sublata, nihil ea inter omnes hujusmodi vaticinationes præcipua facit. Figurata signa, et typicas effigies nobis offert quæ nonnunquam vive non perspiciuntur.

Imo dum prophetiæ anteriorum capitum, die dicta, secundum verba prophetæ efficiuntur, prophetiæ quæ in ultimis capitibus continentur, non modo non fiunt, sed historicis eventibus hujus ætatis non respondent. Non sine quadam mæstitia hæc capita retractamus; et post magnificam restauratæ Hierosolymæ descriptionem cogitatio nostra ad tristem Judæorum exodum revolvitur, eosque videmus viam sanctæ civitatis, multis lacrimis effusis, retro repetentes, ut supra ruinas cum quodam Reho aut Sambalato de jure contendant hœc mœnia restituendi de quibus hostes dicebant : « Si ascenderit vulpes, transiliet murum eorum lapideum ». Nehem, IV, 3.

Quam multa sæcula præteriverunt, et quam multa quoque præteribunt, priusquam omnes terræ gentes ad aquam sitientes properent, glorificatus que Israel lac gentium sugat et mamilla regum lactetur? LX, 16, etc.

Quomodo ergo explanandum sit eumdem auctorem

ad idem opus duobus tam dissimilibus modis usum fuisse et nobis duo exempla prophetiæ forma et adimpletione tam diversa?

Dum nobis tempora Cyri accuratissimo modo depingere potuerit, quid et cur tempora Zorobabelis tam ambiguis incertisque coloribus depinxit?

Nobis responsio manifesta constat. Auctor noster Cyri temporis æqualis erat, non autem Zorobabelis. Si Isaias auctor esset de Zorobabeli sicut de Cyro locutus esset. Nostra opinione id fieri jam non potest ut idem factum non eadem trutina pensaretur.

Duplex nostri prophetæ modus scribendi nobis terminum *a quo* et terminum *ad quem* demonstrat. Ejus liber circa tempora Babylonis a Persis captæ inceptus est, et paulo ante reversionem ab exsilio confectus fuit, quum prophetæ animus, spe proximæ liberationis incensus, nondum e summo poesis culmine ad molestas præsentis horæ curas redactus esset.

CONCLUSIO.

In hac conclusione ergo persuasissime consistimus hæc septem et viginti capita unius auctoris opus esse, qui in unum librum omnes prophetias a se in ultimis exsilii temporibus prolatas collexit, easque certo quodam ordine, causarumque serie religavit (1).

(1) Quædam rationes quæ adversus doctrinam illam oppositæ sunt, nobis nullius momenti esse videntur ad gravem suspicionem de ejus veritate concipiendam. Sic, huc et illûc nonnulli versus indicati sunt, qui ad tempus exsilio antiquius reversari possent. Horum omnium præcipuus locus sermo est qui a cap. LVI, 9, usque ad cap. LVII, 14, complectitur. Jure observatum est, hujus loci dicendi genus singularem diversitatem cum summâ nostri libri afferre. Major orationis brevitas et obscuritas quædamque imaginum asperitas hic reperiuntur. Quædam indiciæ — Utpote parvulos in torrentibus, subter omne lignum frondosum immolare, suprà montem excelsum ascendere ad hostias immolandas, etc. — ad consuetudines sese referre videntur, quæ in moribus positæ erant, dûm Hierosolymæ starent. Quapropter multi interpretes hunc locum interpolamentum esse æstimant.

Non nobis satis causæ videtur cur suspicio interpolamenti comprobetur. Plurimis notis, præcipueque rusticitate imaginum quarum quædam in linguam nostram transferri non possunt (Vide cap. LVII, 8) hic locus ad Ezechielem propius accedit, qui initio exsilii vitam agebat. Per tempora exsilii, Israel sæpe satis cultum idolorum secutus est, ut vehementes objurgationes quibus propheta flagitia populi exprobrat justæ et legitimæ viderentur.

Non ampliûs in varias conjecturas de præsumpto auctore libri nostri hærebimus. Sic Bunsenius, auctorem Baruch demonstrare cona-

Quæstio tamen non nullius momenti est, in obscuro manet. Agitur de causa propter quam hæc capitula, jam antiquitus, veri Isaiæ libro conjuncta fuerint. Ratio quæ speciosissima videtur e quodam loco Talmudi (Baba-Bathra, f. 14) originem suam ducit, ut multi Theologi referunt (Bleek, Reuss, Wellhausen, etc.). A principio, ut dicunt, Jeremias et Ezechiel primas sedes in majorum prophetarum collectaneis occupaverunt. Hac compilatione quæ nucleus propheticorum librorum fuit, tertia sedes Isaiæ tribuebatur. Auctor qui appendicem historicam (Cap. XXXIV-XXXIX) illi adjunxit capita anteriora tantum cognoscebat et similius veri est opus suum exsilio posterius fuisse. Quum illo supplemento adjuncto, Isaiæ liber brevior libris utriusque prophetæ esset, hæc septem et viginti capita, quæ vulgo, satis improprie Deutero-Isaias vocantur, illi addita fuerunt.

Sic libri tres pari fere amplitudine collecti fuerunt quibus collectanea minorum prophetarum postea juncta fuerunt. Volventibus annis horum additamentorum memoria occidit, et liber totus nomine Isaiæ designatus est. Hoc factum non multum differt a casu libri nomine Zachariæ inscripti et in quo tres saltem tribus ætatibus compositi libri continentur.

Si vero nomen veri auctoris nonnulli conquirere conati sunt, hoc nihil aliud esse existimamus nisi frustra tentare id quod nunquam licebit attrectare. Vaticinationum quæ in his paucis capitibus insunt, ea est excel-

tur (*Gott in der Gesch*, I, p. 201-207. Sic Hitzig sacerdoti Josue scriptionem nostri libri attribuit. Hæ omnes conjectiones nullam certam rationem habere videntur.

lentia et sublimitas ut non mirum sit si christiana fides a primis Ecclesiæ ætatibus eas sicut firmissimum annulum consideraverit hujus vaticinationum catenæ, quæ a tempore Isaiæ usque ad crucem Calvariæ extenditur. Poesis quæ per capita illa pleno alveo fluit ita pura est et excelsa, ut pronius ad fidem fuerit eam prophetæ attribuere qui gentis suæ admiratione princeps poetarum vocatus erat. Si quod censemus, illud opus ignoto auctori temporum Cyri adscribendum est, hoc tantum in traditionis doctrina mutatur: ubi unus et idem insignis propheta inveniebatur, duo sunt inventi.

Nostra sententia nihil quidem ex illo facto decori aut propheticæ gloriæ Hebræorum aufertur.

Vidi et perlegi :

Philippe Berger.

Publicæ disputationis præses.

Vidi,

fac. theolog. ev. Paris. Decanus.

F. Lichtenberger.

Typis mandetur :

Greard.

Academiæ Parisiensis Rector.

Paris. — A. Parent, imprimeur de la Faculté de médecine, A. Davy, successeur,
52, rue Madame et rue Monsieur-le-Prince, 14.

IMPRIMERIE DE LA FACULTÉ DE MÉDECINE